- ²⁴ Nam et testimónia tua delectátio mea, *
et consílium meum iustificatió nes tuæ.

Psalmus 24 (25)

Imploratio veniæ et salutis

Spes non confundit (Rom 5, 5).

I

- ¹ Ad te, Dómine, levávi ánimam meam, *
- ² Deus meus, in te confído: non erubéscam.
Neque exsúltent super me inimíci mei, *
- ³ étenim univérsi, qui sústinent te,
non confundéntur.
Confundántur infidéliter agéntes *
propter vanitátem.
- ⁴ Vias tuas, Dómine, demónstra mihi *
et sémitas tuas édoce me.

Psalterium

Hebd I

Feria V

Ad Horam mediam

pag. 949

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

- ⁵ Dírige me in veritáte tua et doce me, †
quia tu es Deus salútis meæ, *
et te sustínui tota die.
- ⁶ Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, *
et misericordiárum tuárum,
quóniam a sæculo sunt.
- ⁷ Peccáta iuventútis meæ et delícta mea
ne memíneris; †
secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu, *
propter bonitátem tuam, Dómine.
- ⁸ Dulcis et rectus Dóminus, *
propter hoc peccatóres viam docébit;
⁹ díriget mansuétos in iudício, *
docébit mites vias suas.
- ¹⁰ Univérsæ viæ Dómini misericórdia et véritas *
custodiéntibus testaméntum eius
et testimónia eius.
- ¹¹ Propter nomen tuum, Dómine,
propitiáberis peccáto meo: *
multum est enim.

II

- ¹² Quis est homo, qui timet Dóminum? *
Docébit eum viam, quam éligat.
- ¹³ Ánima eius in bonis demorábitur, *
et semen eius hereditábit terram.
- ¹⁴ Familiáriter aget Dóminus cum timéntibus eum, *
ut testaméntum suum maniféstet illis.
- ¹⁵ Óculi mei semper ad Dóminum, *
quóniam ipse evéllit de láqueo pedes meos.
- ¹⁶ Réspice in me et miserére mei, *
quia únicus et pauper sum ego.
- ¹⁷ Diláta angústias cordis mei *
et de necessitátibus meis érue me.
- ¹⁸ Vide humilitátem meam et labórem meum *
et dimítte univérsa delícta mea.

Psalterium

Hebd I

Feria V

Ad Horam mediam

pag. 950

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

- ¹⁹ Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt *
et ódio crudéli odérunt me.
- ²⁰ Custódi ánimam meam et érue me; *
non erubéscam, quóniam sperávi in te.
- ²¹ Innocéntia et æquitas custódiant me, *
quia sustínui te.
- ²² Líbera, Deus, Ísrael *
ex ómnibus tribulatió nibus suis.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ad alias Horas, psalmodia complementarís, 1298.

Lectio brevis, versus et oratio, quæ iuxta diversitatem Offici requiruntur.

Conclusio Horæ, ut in Ordinario.

Ad Vesperas

V. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Sicut erat
(**T. P.** allelúia).

HYMNUS Officio conveniens.

PSALMODIA

Antiphona 1

Tempore Quadragesimæ: Clamávi ad te, et sanásti me, Dómine; in ætérnum confitébor tibi.

Tempore paschali: Convertísti planctum meum in gáudium mihi, allelúia.

Psalmus 29 (30)

Gratiarum actio pro liberatione a morte

Christus post resurrectionem gloriosam Patri gratias agit
(Cassiodorus).

- ² Exaltábo te, Dómine, quóniam extraxísti me *
nec delectásti inimícos meos super me.
- ³ Dómine Deus meus, clamávi ad te, *
et sanásti me.

Psalterium

Hebd I

Feria V

Ad Vesperas

pag. 951

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

**Liturgia Horarum
tomo II**

**© Breviario Digitale
2014**

⁴ Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam, *
vivificásti me, ut non descénderem in lacum.

⁵ Psállite Dómino, sancti eius, *
et confitémini memóriæ sanctitátis eius,

⁶ quóniam ad moméntum indignátio eius, *
et per vitam volúntas eius.

Ad vésperum demorátur fletus, *
ad matutínium lætítia.

⁷ Ego autem dixi in securitáte mea: *
« Non movébor in ætérnum ».

⁸ Dómine, in voluntáte tua *
præstitísti decóri meo virtútem;
avertísti fáciem tuam a me, *
et factus sum conturbátus.

⁹ Ad te, Dómine, clamábam *
et ad Deum meum deprecábar.

¹⁰ Quæ utilitas in ságuine meo, *
dum descéndo in corruptiónem?
Numquid confitébitur tibi pulvis *
aut annuntiábit veritátem tuam?

¹¹ Audívit Dóminus et misértus est mei, *
Dóminus factus est adiútor meus.

¹² Convertísti planctum meum in choros mihi, *
conscidísti saccum meum
et accinxísti me lætítia,

¹³ ut cantet tibi glória mea et non táceat. *
Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Clamávi ad te, et
sanásti me, Dómine; in ætérnum confitébor tibi.

Tempore paschali: Ant. Convertísti planctum meum
in gáudium mihi, allelúia.

Antiphona 2

Tempore Quadragesimæ: Beátus vir, cui non
imputávit Dóminus peccátum.

Psalterium

Hebd I

Feria V

Ad Vesperas

pag. 952

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

Tempore paschali: Reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii eius, allelúia.

Psalmus 31 (32)

Beatus, cui remissa est iniquitas

David dicit beatitudinem hominis, cui Deus reputat iustitiam sine operibus (Rom 4, 6).

- ¹ Beátus, cui remíssa est iníquitas, *
et obtéctum est peccátum.
- ² Beátus vir, cui non imputávit Dóminus delíctum, *
nec est in spíritu eius dolus.
- ³ Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, *
dum rugírem tota die.
- ⁴ Quóniam die ac nocte graváta est super me
manus tua, *
immútátus est vigor meus in ardóribus æstátis.
- ⁵ Peccátum meum cógnitum tibi feci *
et delíctum meum non abscóndi.
Dixi: « Confitébor advérsus me
iniquitátem meam Dómino ». *
Et tu remisísti impietátem peccáti mei.
- ⁶ Propter hoc orábit ad te omnis sanctus *
in témpore oportúno.
Et in dilúvio aquárum multárum *
ad eum non approximábunt.
- ⁷ Tu es refúgium meum,
a tribulatióne conservábis me; *
exultatióne salútis circúmdabis me.
- ⁸ Intelléctum tibi dabo
et ínstruam te in via, qua gradiéris; *
firmábo super te óculos meos.
- ⁹ Nolíte fieri sicut equus et mulus, *
quibus non est intelléctus;
in camo et freno si accédis ad constringéndum, *
non appróximant ad te. —

Psalterium

Hebd I

Feria V

Ad Vesperas

pag. 953

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

¹⁰ Multi dolóres ímpii, *

sperántem autem in Dómino
misericórdia circúmdabit.

¹¹ Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti; *
et gloriámini, omnes recti corde.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Beátus vir, cui non
imputávit Dóminus peccátum.

Tempore paschali: Ant. Reconciliáti sumus Deo per
mortem Fílii eius, allelúia.

Antiphona 3

Tempore Quadragesimæ: Dedit ei Dóminus pote-
státem et honórem et regnum, et omnes pópuli ipsi
sérvient.

Tempore paschali: Quis símilis tui in fórtibus,
Dómine? quis símilis tui, magníficus in sanctitáte?
allelúia.

Canticum

Apc 11, 17-18; 12, 10 b-12 a

De iudicio Dei

^{11,17} Grátias ágimus tibi, *

Dómine, Deus omnípotens,
qui es et qui eras, *

quia accepísti virtútem tuam magnam et regnásti.

¹⁸ Et irátæ sunt gentes, *

et advénit ira tua, et tempus mortuórum iudicári
et réddere mercédem servis tuis

prophétis et sanctis *

et timéntibus nomen tuum, pusíllis et magnis.

^{12,10} Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri *
et potéstas Christi eius,

quia proiéctus est accusátor fratrum nostrórum, *
qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri
die ac nocte. —

Psalterium

Hebd I

Feria V

Ad Vesperas

pag. 954

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

- ¹¹ Et ipsi vicérunt illum propter sánguinem Agni *
et propter verbum testimónii sui;
et non dilexérunt ánimam suam *
usque ad mortem.
- ¹² Proptérea lætámini, cæli *
et qui habitátis in eis.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Dedit ei Dóminus potestátem et honórem et regnum, et omnes pópuli ipsi sérvient.

Tempore paschali: Ant. Quis símilis tui in fórtibus, Dómine? quis símilis tui, magníficus in sanctitáte? allelúia.

Lectio brevis, responsorium, antiphona ad Magnificat, preces et oratio, quæ iuxta diversitatem Officii requiruntur.

Conclusio Horæ, ut in Ordinario.

Psalterium

Hebd I

Feria V

Ad Vesperas

pag. 955

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

FERIA VI HEBDOMADÆ I

Ad Invitorium

v. Dómine, lábia.

Psalmus invitatorius, 860, cum antiphona Officio conveniente.

Ad Officium lectionis

v. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Sicut erat (T. P. allelúia).

Quæ tamen omittuntur quando Invitorium immediate præcedit.

HYMNUS Officio conveniens.

PSALMODIA

Ant. 1 Exsúrge, Dómine, in adiutórium mihi (T. P. allelúia).

Psalmus 34 (35), 12. 3 c. 9-19. 22-23. 27-28

Dominus salvator in persecutione

Congregati sunt ... et consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent et occiderent (Mt 26, 3. 4).

I

- ¹ Iúdica, Dómine, iudicántes me; *
impúgna impugnántes me.
- ² Apprehénde clipeum et scutum †
et exsúrge in adiutórium mihi. *
- ^{3c} Dic ánimæ meæ: « Salus tua ego sum ».
- ⁹ Ánima autem mea exsultábit in Dómino *
et delectábitur super salutári suo.
- ¹⁰ Ómnia ossa mea dicent: *
« Dómine, quis símilis tibi?
Erípiens ínopem de manu fortiórum eius, *
egénium et páuperem a diripiéntibus eum ». —

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Invitorium

pag. 956

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

- ¹¹ Surgéntes testes iníqui, *
quæ ignorábam, interrogábant me;
¹² retribuébant mihi mala pro bonis, *
desolátio est ánimæ meæ.

Ant. Exsúrge, Dómine, in adiutórium mihi (T. P. allelúia).

Ant. 2 Iúdica causam meam; defénde, quia potens es, Dómine (T. P. allelúia).

II

- ¹³ Ego autem, cum infirmaréntur, *
induébar cilício,
humiliábam in ieiúnio ánimam meam; *
et orátio mea in sinu meo convertebátur.
¹⁴ Quasi pro próximo et quasi pro fratre meo
ambulábam, *
quasi lugens matrem contristátus incurvábar.
¹⁵ Cum autem vacillárem, lætáti sunt et convenérunt; *
convenérunt contra me percutiéntes,
et ignorávi.
¹⁶ Diripuérunt et non desistébant; †
tentavérunt me,
subsannavérunt me subsannatióne, *
frenduérunt super me déntibus suis.

Ant. Iúdica causam meam; defénde, quia potens es, Dómine (T. P. allelúia).

Ant. 3 Lingua mea, tota die, meditábitur iustítiam tuam (T. P. allelúia).

III

- ¹⁷ Dómine, quámdu aspícies? †
Restítue ánimam meam a malignitáte eórum, *
a leónibus únicam meam.
¹⁸ Confitébor tibi in ecclésia magna, *
in pópulo multo laudábo te. —

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Off Lectionis

pag. 957

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

- ¹⁹ Non supergáudeant mihi inimíci mei mendáces, *
qui odérunt me gratis et ánnuunt óculis.
- ²² Vidísti, Dómine, ne síleas; *
Dómine, ne discédas a me.
- ²³ Exsúrge et evígila ad iudícium meum, *
Deus meus et Dóminus meus, ad causam meam.
- ²⁷ Exsúltent et læténtur, qui volunt iustítiam meam, *
et dicant semper: « Magnificétur Dóminus,
qui vult pacem servi sui ».
- ²⁸ Et lingua mea meditábitur iustítiam tuam, *
tota die laudem tuam.

Ant. Lingua mea, tota die, meditábitur iustítiam tuam (T. P. allelúia).

Versus, lectiones et oratio singulis Officiis convenientes.

Ad Laudes matutinas

v. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Sicut erat (T. P. allelúia).

Quæ tamen omittuntur quando Invitatorium immediate præcedit.

HYMNUS Officio conveniens.

PSALMODIA

Antiphona 1

Tempore Quadragesimæ: Acceptábis sacrificium iustítiæ super altáre tuum, Dómine.

Tempore paschali: Meménto mei, Dómine Deus, dum véneris in regnum tuum, allelúia.

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Laudes matutinas

pag. 958

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

Psalmus 50 (51)
Miserere mei, Deus

Renovari spiritu mentis vestræ et induere novum hominem (Eph 4, 23-24).

- ³ Miserere mei, Deus, *
secundum misericordiam tuam;
et secundum multitudinem miserationum tuarum *
dele iniquitatem meam.
- ⁴ Amplius lava me ab iniquitate mea *
et a peccato meo munda me.
- ⁵ Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, *
et peccatum meum contra me est semper.
- ⁶ Tibi, tibi soli peccavi *,
et malum coram te feci,
ut iustus inveniaris in sententia tua *
et æquus in iudicio tuo.
- ⁷ Ecce enim in iniquitate generatus sum, *
et in peccato concipit me mater mea.
- ⁸ Ecce enim veritatem in corde dilexisti *
et in occulto sapientiam manifestasti mihi.
- ⁹ Asparges me hyssopo, et mundabor; *
lavabis me, et super nivem dealbabor.
- ¹⁰ Audire me facies gaudium et lætítiam, *
et exultabunt ossa, quæ contrivisti.
- ¹¹ Averte faciem tuam a peccatis meis *
et omnes iniquitates meas dele.
- ¹² Cor mundum crea in me, Deus, *
et spiritum firmum innova in visceribus meis.
- ¹³ Ne proicias me a facie tua *
et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
- ¹⁴ Redde mihi lætítiam salutaris tui *
et spiritu promptissimo confirma me.
- ¹⁵ Docébo iníquos vias tuas, *
et impii ad te convertentur.

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Laudes matutinas

pag. 959

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

- 16 Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ, *
et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.
- 17 Dómine, lábia mea apéries, *
et os meum annuntiábit laudem tuam.
- 18 Non enim sacrificío delectáris; *
holocáustum, si ófferam, non placébit.
- 19 Sacrificíum Deo spíritus contribulátus; *
cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.
- 20 Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, *
ut ædificéntur muri Ierúsalem.
- 21 Tunc acceptábis sacrificíum iustítiae,
oblatiónes et holocáusta; *
tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Acceptábis sacrificíum iustítiae super altáre tuum, Dómine.

Tempore paschali: Ant. Meménto mei, Dómine Deus, dum véneris in regnum tuum, allelúia.

Antiphona 2

Tempore Quadragesimæ: In Dómino iustificábitur et laudábitur omne semen Ísrael.

Tempore paschali: Vere tu es Deus abscónditus, Deus Ísrael, salvátor, allelúia. †

Canticum

Is 45, 15-25

Omnes gentes convertantur ad Dominum

In nomine Iesu omne genu flectatur (Philp 2, 10).

- 15 Vere tu es Deus abscónditus, *
Deus Ísrael, salvátor.
- 16 † Confúsi sunt et erubuérunt omnes, *
simul abiérunt in confusiónem
fabricatóres idolórum.
- 17 Ísrael salvátus est in Dómino salúte ætérna; *
non confundémini et non erubescétis
usque in sáeculum sáeculi. —

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Laudes matutinas

pag. 960

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

- 18 Quia hæc dicit Dóminus, †
 qui creávit cælos, ipse Deus, *
 qui formávit terram et fecit eam,
 ipse fundávit eam;
 non ut vácuá esset, creávit eam, †
 ut habitaretur, formávit eam: *
 « Ego Dóminus, et non est álius.
- 19 Non in abscóndito locútus sum, *
 in loco terræ tenebróso;
 non dixi sémini Iacob:
 “Frustra quærite me”. *
 Ego Dóminus loquens iustítiam,
 annúntians recta.
- 20 Congregámini et veníte et accédite simul, *
 qui salváti estis ex géntibus.
 Nesciérunt, qui levant lignum sculptúræ suæ *
 et rogant deum non salvántem.
- 21 Annuntiáte et veníte et consiliámini simul. *
 Quis audítum fecit hoc ab inítio,
 ex tunc prædíxit illud?
 Numquid non ego Dóminus, †
 et non est ultra Deus absque me? *
 Deus iustus et salvans non est præter me.
- 22 Convertímini ad me et salvi éritis,
 omnes fines terræ, *
 quia ego Deus, et non est álius.
- 23 In memetípso iurávi: †
 Egréssa est de ore meo iustítia, *
 verbum, quod non revertétur;
 quia mihi curvábatur omne genu, *
 et iurábit omnis lingua ».
- 24 « Tantum in Dómino » dicent *
 « sunt iustítiæ et robur! ».
 Ad eum vénient et confundéntur †
 omnes, qui repúgnant ei: *
- 25 in Dómino iustificábitur et laudábitur
 omne semen Ísrael.

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Laudes matutinas

pag. 961

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
 tomo II

© Breviario Digitale
 2014

Tempore Quadragesimæ: Ant. In Dómino iustificábitur et laudábitur omne semen Ísrael.

Tempore paschali: Ant. Vere tu es Deus absconditus, Deus Ísrael, salvátor, allelúia.

Antiphona 3

Tempore Quadragesimæ: Introíte in conspéctu Dómini in exsultatióne.

Tempore paschali: Servíte Dómino in lætítia, allelúia.

Quando sequens psalmus adhibitus est ad Invitatorium, loco eius dicitur psalmus 94 (95), 860.

Psalmus 99 (100)

Gaudium in templum ingredientium

Redemptos iubet Dominus victoriæ carmen canere
(S. Athanasius).

² Iubiláte Dómino, omnis terra, *
servíte Dómino in lætítia;
introíte in conspéctu eius *
in exsultatióne.

³ Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus; †
ipse fecit nos, et ipsíus sumus, *
pópulus eius et oves páscuæ eius.

⁴ Introíte portas eius in confessióne, †
átria eius in hymnis, *
confitémini illi, benedícite nómini eius.

⁵ Quóniam suávis est Dóminus; †
in ætérnum misericórdia eius, *
et usque in generatióne et generatióne
véritas eius.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Introíte in conspéctu Dómini in exsultatióne.

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Laudes matutinas

pag. 962

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

Tempore paschali: Ant. Servíte Dómino in lætítia, allelúia.

Lectio brevis, responsorium, antiphona ad Benedictus, preces et oratio, quæ iuxta diversitatem Officii requiruntur.

Conclusio Horæ, ut in Ordinario.

Ad Horam mediam

v. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Sicut erat (T. P. allelúia).

HYMNUS singulis temporibus proprius.

PSALMODIA

Tempore Quadragesimæ: Antiphona, ut in Proprio de Tempore.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 118 (119), 25-32

IV (Daleth)

²⁵ Adhæsit púlveri ánima mea; *
vivífica me secúndum verbum tuum.

²⁶ Vias meas enuntiávi, et exaudísti me; *
doce me iustificatiónes tuas.

²⁷ Viam mandatórum tuórum fac me intellégere, *
et exercébor in mirábilibus tuis.

²⁸ Lacrimáta est ánima mea præ mærore; *
érige me secúndum verbum tuum.

²⁹ Viam mendáccii avérte a me *
et legem tuam da mihi benígne.

³⁰ Viam veritátis elégi, *
iudícia tua propósui mihi. —

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Horam mediam

pag. 963

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

- ³¹ Adhæsi testimoniis tuis, Dómine; *
noli me confundere.
- ³² Viam mandatorum tuorum curram, *
quia dilatasti cor meum.

Psalmus, 25 (26)

Innocentis fiducia et oratio

Elegit nos Deus in Christo, ut essemus sancti et immaculati (Eph 1, 4).

- ¹ Iúdica me, Dómine, †
quóniam ego in innocéntia mea ingressus sum *
et in Dómino sperans non infirmábor.
- ² Proba me, Dómine, et tenta me; *
ure renes meos et cor meum.
- ³ Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est, *
et ambulávi in veritáte tua.
- ⁴ Non sedi cum viris vanitátis *
et cum occúlte agéntibus non introíbo.
- ⁵ Odívi ecclésiám malignántium *
et cum ímpiis non sedébo.
- ⁶ Lavábo in innocéntia manus meas *
et circúmdabo altáre tuum, Dómine,
- ⁷ ut audítas fáciam voces laudis *
et enárrem univérsa mirabília tua.
- ⁸ Dómine, diléxi habitáculum domus tuæ *
et locum habitatiónis glóriæ tuæ.
- ⁹ Ne cólligas cum ímpiis ánimam meam *
et cum viris sánguinem vitam meam,
- ¹⁰ in quorum mánibus iniquitátes sunt, *
détertera eórum repléta est munéribus.
- ¹¹ Ego autem in innocéntia mea ingressus sum, *
redime me et miserere mei.
- ¹² Pes meus stetit in dirécto, *
in ecclésiis benedícam Dómino.

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Horam mediam

pag. 964

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

Psalmus 27 (28), 1-3. 6-9

Supplicatio et gratiarum actio

Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me (Io 11, 41).

- ¹ Ad te, Dómine, clamábo; *
Deus meus, ne síleas a me.
Ne quándo táceas a me, *
et assimilábor descendéntibus in lacum.
- ² Exáudi vocem deprecationis meæ,
dum clamo ad te, *
dum extóllo manus meas
ad templum sanctum tuum.
- ³ Ne simul trahas me cum peccatóribus *
et cum operántibus iniquitátem.
Qui loquúntur pacem cum próximo suo, *
mala autem in córdibus eórum.
- ⁶ Benedíctus Dóminus, †
quóniam exaudívit vocem deprecationis meæ; *
- ⁷ Dóminus adiútor meus et protéctor meus,
in ipso sperávit cor meum, et adiútus sum, †
et exsultávit cor meum, *
et in cántico meo confitébor ei.
- ⁸ Dóminus fortitúdo plebi suæ, *
et refúgium salvatiónum christi sui est.
- ⁹ Salvum fac pópulum tuum
et bénedic hereditáti tuæ *
et pasce eos et extólle illos usque in ætérnum.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ad alias Horas, psalmodia complementariorum, 1298.

Lectio brevis, versus et oratio, quæ iuxta diversitatem Officii requiruntur.

Conclusio Horæ, ut in Ordinario.

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Horam mediam

pag. 965

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

Ad Vesperas

V. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Sicut erat
(T. P. allelúia).

HYMNUS Officio conveniens.

PSALMODIA

Antiphona 1

Tempore Quadragesimæ: Sana, Dómine, ánimam meam, quia peccávi tibi.

Tempore paschali: Christus propter nos egénus factus est, ut nos dívites essémus, allelúia.

Psalmus 40 (41)

Infirmi oratio

Unus ex vobis me tradet, qui manducat mecum

(Mc 14, 18).

² Beátus, qui intéllegit de egéno; *

in die mala liberábit eum Dóminus.

³ Dóminus servábit eum et vivificábit eum †

et beátum fáciet eum in terra *

et non tradet eum in ánimam inimicórum eius.

⁴ Dóminus opem feret illi super lectum dolóris eius; *

univérsum stratum eius versábis

in infirmitáte eius.

⁵ Ego dixit « Dómine, miserére mei; *

sana ánimam meam, quia peccávi tibi ».

⁶ Inimíci mei dixerunt mala mihi: *

« Quando moriétur, et períbit nomen eius? ».

⁷ Et si ingrediebátúr, ut visitáret, vana loquebátur; †

cor eius congregábat iniquitátem sibi, *

egrediebátur foras et detrahébat.

⁸ Simul advérsus me susurrábant

omnes inimíci mei; *

advérsus me cogitábant mala mihi:

⁹ « Malefícium effúsum est in eo; *

et, qui decúmbit, non adíciet ut resúrgat ».

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Vesperas

pag. 966

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

¹⁰ Sed et homo pacis meæ, in quo sperávi, *
qui edébat panem meum,
levávit contra me calcáneum.

¹¹ Tu autem, Dómine, miserére mei *
et resúscita me, et retríbuam eis.

¹² In hoc cognóvi quóniam voluísti me, *
quia non gaudébit inimícus meus super me;

¹³ me autem propter innocéntiam suscepísti *
et statuísti me in conspéctu tuo in ætérnum.

¹⁴ Benedíctus Dóminus, Deus Ísrael, *
a sæculo et usque in sæculum. Fiat, fiat.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Sana, Dómine, áni-
mam meam, quia peccávi tibi.

Tempore paschali: Ant. Christus propter nos egénus
factus est, ut nos dívites essémus, allelúia.

Antiphona 2

Tempore Quadragesimæ: Dóminus virtútum nobís-
cum, refúgium nobis Deus Iacob.

Tempore paschali: Flúminis ímpetus lætíficat
civitátem Dei, allelúia.

Psalmus 45 (46)

Deus refugium et virtus

*Vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpreta-
tum Nobiscum Deus (Mt 1, 23).*

² Deus est nobis refúgium et virtus, *
adiutórium in tribulatió nibus invéntus est nimis.

³ Proptérea non timébimus, dum turbábitur terra, *
et transferéntur montes in cor maris.

⁴ Fremant et intuméscant aquæ eius, *
conturbéntur montes in elatióne eius.

⁵ Flúminis rivi lætíficant civitátem Dei, *
sancta tabernácula Altíssimi.

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Vesperas

pag. 967

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

- 6 Deus in médio eius, non commovébitur; *
adiuvábit eam Deus mane dilúculo.
- 7 Fremuérunt gentes, commóta sunt regna; *
dedit vocem suam, liquefacta est terra.
- 8 Dóminus virtútum nobíscum, *
refúgium nobis Deus Iacob.
- 9 Veníte et vidéte ópera Dómini, *
quæ pósuit prodígia super terram.
Áuferet bella usque ad finem terræ, †
- 10 arcum cónteret et confrínget arma *
et scuta combúret igne.
- 11 Vacáte et vidéte quóniam ego sum Deus: *
exaltábor in géntibus et exaltábor in terra.
- 12 Dóminus virtútum nobíscum, *
refúgium nobis Deus Iacob.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Dóminus virtútum nobíscum, refúgium nobis Deus Iacob.

Tempore paschali: Ant. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei, allelúia.

Antiphona 3

Tempore Quadragesimæ: Omnes gentes vénient et adorábunt coram te, Dómine.

Tempore paschali: Cantémus Dómino; glorióse enim magnificátus est, allelúia.

Canticum

Apc 15, 3-4

Hymnus adorationis

- 3 Magna et mirabilia ópera tua, *
Dómine, Deus omnípotens;
iustæ et veræ viæ tuæ, *
Rex géntium!
- 4 Quis non timébit, Dómine, *
et glorificábit nomen tuum?

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Vesperas

pag. 968

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014

Quia solus Sanctus, †
quóniam omnes gentes vénient
et adorábunt in conspéctu tuo, *
quóniam iudícia tua manifestáta sunt.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Omnes gentes vénient
et adorábunt coram te, Dómine.

Tempore paschali: Ant. Cantémus Dómino: glorióse
enim magnificátus est, allelúia.

**Lectio brevis, responsorium, antiphona ad Magnificat,
preces et oratio, quæ iuxta diversitatem Officii requi-
runtur.**

Conclusio Horæ, ut in Ordinario.

Psalterium

Hebd I

Feria VI

Ad Vesperas

pag. 969

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

**Liturgia Horarum
tomo II**

**© Breviario Digitale
2014**

SABBATO HEBDOMADÆ I

Ad Invitorium

v. Dómine, lábia.

Psalmus invitatorius, 860, cum antiphona Officio conveniente.

Ad Officium lectionis

v. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Sicut erat (T. P. allelúia).

Quæ tamen omittuntur quando Invitorium immediate præcedit.

HYMNUS Officio conveniens.

PSALMODIA

Ant. 1 Cantáte Dómino, mementóte mirabílium eius quæ fecit (T. P. allelúia).

Psalmus 104 (105)

Dominus promissionibus fidelis

Apostoli gentibus manifestant mirabilia Dei in adventu eius (S. Athanasius).

I

¹ Confitémini Dómino et invocáte nomen eius, *
annuntiáte inter gentes ópera eius.

² Cantáte ei et psállite ei, *
meditámini in ómnibus mirabílibus eius.

³ Laudámini in nómine sancto eius, *
lætétur cor quæréntium Dóminum.

⁴ Quærite Dóminum, et poténtiam eius, *
quærite fáciem eius semper.

Psalterium

Hebd I

Sabbato

Ad Invitorium

pag. 970

SUMMARIUM

DE TEMPORE

SOLLEMNITATES

ORDINARIUM

PSALTERIUM

COMPLETORIUM

REDITUM

COMPLEMENTARIS

SANCTIS

COMMUNIA

DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES

Liturgia Horarum
tomo II

© Breviario Digitale
2014